

Nusquam magis Natura
quam in minimis.
incidit



ILLVSTRISSIMO,

NOBILISSIMOQVE VIRO DOMINO D. DIONYSIO LE VAYER,

EQVITI, DOMINO DE LA CHEVALLERIE, SVPREMÆ SVBSIDIORVM CVRIÆ PARISIENSIS Senatori integerrimo, &c.

ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ.



AMILIARE quidem est (VIR ILLVSTRISSIME) *multis in Arenam, in quam prodire meditor, descensuris, vt Principum & Magnatum Virorum Nomen inscribant suis Theorematis. At certè hoc ipsum pauci præstant eâdem quā Ego, mente; Scilicet alij magnis affecti Beneficijs, quia paria referre nequeunt, verbis remetiuntur Gratiam: Alij sibi grande Præsidium quæsituri, ne non exorent, publicè rogant. Mihi verò nulla res alia Fores Tuas aperuit, quàm Tua Virtus, cui prona sunt omnium qui Te norunt, ingenia: & vt sine alijs causis ad Te mihi pateret aditus, satis fuit, quòd pateat omnibus. Sic enim Te Deus finxit, vt à conspectu Tuo neminem absterreas & colloquio, sed vel verecundis timidioribusque Tui copiam facias: sic in Te cum Æquitate Benignitas, cum Prudentia Candor, cum Eruditione Simplicitas, cum Affabilitate consentit Iudicis Dignitas,*

vt in hoc confuso Virtutum omnium Temperamento nemo sit, qui simul Senatoris Majestatem, Privatique Hominis Mores, vt decet, meliùs exprimat. Atque his artibus Majorum Tuorum more tenes suspensos Tui admiratione nostrorum Popularium animos, nec minùs Tibi devinctos Per-illustres Tui Ordinis Viros. Plura dicere supersedeo, ne tuam videar offendisse Modestiam, quæ nihil tam habet commendatum, quàm à nullo commendari. Liceat tantùm aliquid lucis à tua luce mutuari, Téque ab illo Solio in quo summa cum Authoritate sedes, in subsellia Medica devocare. Minimè verò dubito quin huc sponte venias, vbi Principem invenisti Reginæ Medicum, quem tuæ Familiæ nuptijs conglutinares.

VALE.

Addictissimus tibi
BERT. DIEVXIVOYE.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, Die Iovis XII. Decembris,

M. LVDOVICO LE NOIR,

DOCTORE MEDICO, Moderatore.

An Maribus, vt Feminis ex Veneris abstinentia gravissimi affectus?



NON minùs peccant in suam valetudinem qui ætatis & naturæ beneficio validi, Venere penitus abstinent, quàm qui petulantiùs ipsam exercent : Sed horum numerus longè major, hoc siquidem cupiditatis genere nihil faciliùs accenditur, sed nec quidquam faciliùs *a* recrudescit. Vndique circumfunditur, & per vias omnes influit, *b* cantu, *c* visu, consuetudine, balneo, cibo, potu, somno, opportunis Veneris antecœnijs. Eius tyrannidem adeo ferè cuncti experiuntur, vt ne his quidem perpetuò parcat, *d* qui solent perpetua celebrare Nephalia. Ipse alimenta sibi maxima præbet Amor, multisque evenit, vt dum eum explendo conantur extinguere, *e* magis irritent, & libidinosiores evadant : vsque adeo blandum res Venerea malum est, *f* quod accusare facilius sit, quàm vitare; Hinc conjuges multi, cælibes pauci, & quidem inter hos plures qui Sapphus mores, quàm qui ingenium æmulentur. Rariora proinde ex retento, quàm ex profuso Semine mala, sed sanè graviora, passimque ἀνίατα, quod vtplurimum in illos incidant, quos neque pudor morbi causam detegere, neque vitæ institu-

100.

tum ac Virginitatis propositum, patitur genus remedij promptum atque idoneum adhibere.

a Æsop. & Per. s. 4. *b* Plutar. 1. sym. qu. 5. *c* Ouid. ep. 4. Aristæ. epist. 12. l. 1. *d* Exemplo Diog. de quo Qu. Cur. & Gal. 6. de l. aff. *e* Hip. l. de Naturâ pueri. Arist. 7. hist. Animal. c. 1. *f* Val. Max.

FREQVENTIORIS Veneris vsus ea ferè profert symptomata, quæ immoderatas vacuationes consequuntur: eiusdem planè neglectum studium non leviora interdum accersit, *a* quàm quæ ex hausto veneno oriuntur: ita nempe ad secundam valetudinem refert, *b* vacuum sit excrementis corpus, vt non alia sit frequentior morborum causa. Et ferè leviores sunt, quos peregrinus, periculosiores quos Naturæ familiaris excitat humor, maximè cùm à nativa indole, suaque conditione desciscens, planè in contrariam recidit: Sic pane, optimo cibi genere repleri, pessimum: sic corruptus crudusve chylus contumaces affectus parit, in ditioribus præsertim ac delicatis: eò longè deteriores Naturæ thesaurus sanguis, qui quamdiu purus est, ad animalis salutem; cùm redundat, in grumos cogitur, putredinem, ac gangrænam subit, ad eiusdem se convertit perniciem; vnde *c* Ictus semper calamitosus, *d* Epilepsia, *e* Stoliditas, Febres varij generis, ipsa denique mortis prænuntia, *f* Syncope. Sanguine ipso quantò præstantius est, & majore operâ elaboratum Semen, *g* tantò & vehementiores invehit morbos, hoc solo inferius, quòd ab illo quandoque nonnulli repente moriuntur: huius vitio multi *h* elati reviviscunt, sed vt sæpius deinceps videantur interire. Ita-ne verò facilè putret clausum vesiculis Semen, cuius quantacumque sit copia, certè *i* perexigua est? Vides vt hausta è flumine aqua vitium capit, si in *l* situla diutiùs asservetur immota, in ipso flumine vel mari numquam.

a Gal. de locis aff. c. 5. *b* Gal. 1. de san. tu. Fer. *c* Aurelius Vict. Nic. Borbon. *d* Hip. in Coacis. *e* Hipp. l. de aër. loc. Gal. lib. quod a. m. *f* Fer. 2. abd. rerum c. ca. 15. *g* Gal. 6. de loc. aff. c. 5. *h* Merc. lib. de mor. mul. Rab. Mo. 2. Directorij c. 41. *i* Arist. s. 4. probl. *l* lib. 4. Meteor.

MARIS & Feminæ vt idem ferè est in Venerem ardor ac impetus, *a* sic quod ad Seminis productionem spectat, par ratio; nisi quod à validiori calore, laudabiliorique sanguine copiosius illi illo cumulatur. Cibi præsertimque vini liberaliore vsu accenditur; Mulierum Maribus formosiorum (vtpote quæ *b* Iyngem ac Veneris Cestum habeant) conspectu proprijs in conceptaculis turget, ac veluti ebullit: Testibus denique eius materiæ è qua fieri amat, nihil vt

in Feminis ſingulo quoque menſe tacitè à Natura ſubducitur. Tot ex cauſis frequentiùs promptiúſque in Viris exuperat, ac ſi quando loci impatiens hoſpiti ſuo grave eſſe incipiat, vt nec frænum inijci, nec eius reprimi feritas poſſit, vbi non ampliùs patitur regi ſe à calore nativo, tumultuatur, fervorem, putredinem, ſæpe & ferinam inducit qualitatem, imò aliquando veneni vires, ac conditionem obtinet, *c* vt prorſus venenum fiat in corpore vivente. Hinc ſæpe videas Viros perinde ac Feminas ſtupendis divexari morbis, atque ſymptomatis, & quidem erudito Medico dignis, nec vlli his magis obnoxij, quàm *d* ſanguinei, & qui iuſtum temperamenti modum ſunt conſequuti. Sic illis vulgò infenſa Venus eſt, quibus fuit inviſa, penéque evenit vtriuſque ſexus hominibus, vt lucis vſuram amittant, cùm eam aliis conferre prohibentur, aut recuſant.

a Gal. lib. de ſem. *b* Eraſ. in Ad. *c* Gal. 3. de l. aff. c. 7. & 6. eiuſd. c. 5. Fer. lib. 2. de abd. rer. cauſ. c. 15. *d* Gal. 6. de ſan. tuenda.

SEMINIS redundantiam (cui non ſemper medetur commodè venæ ſectio, labor, ὀλιγοσιτία) niſi licita Venus humanæ pars melior vitæ minuerit, morbos expecta quam-plurimos, ægro tædium, negotium Medico maximum creaturos. Mille modis exercet miſeros Amantes, & cùm ſemel in eos ſævire cœpit, nullam partem ſuæ ſinit offenſionis expertem: *a* Plethorâ premitur corpus; nec ſolùm Teſtes, pudendaſque partes prima mali labes affligit Tumore, Tenſione, Dolore, *b* Priapiſmo, *c* Gonorrhœa, & Vrinæ ardore; latiùs manat eius pernicies, & Facultatibus, partibuſque Principibus bellum indicit, nullo perſonarum & ſexus diſcrimine. Occurrat pallida, decolor, *d* Ictero-ve laborans Virgo, doles illius vicem, optaſque promptas ipſi parari nuptias. Scito verò eaſdem fore huic Auriginoſo adoleſcenti non minùs ſalutares. Quod huic ipſi ſit *e* Concitatior alvus, cui *f* Venus apprimè medeatur; nullo *g* Cibi deſiderio tangatur Stomachus, Ingeſta non complectatur Ventriculus, Macie & Languore confectum corpus nullis remedijs, nullis iuvetur alimentis, ſed ſolo Aphrodiſiaſmo inſtauretur, tum demum mirari deſines, cùm intellexeris quo fonte mali tanta ſit derivata clades, quæ vel ad arcem vitæ Cor propagatur, ac Febre *h* Spermaticâ Veteribus cognitâ, ſed indictâ, *i* Lipothymiâ, Syncope, Palpitatione, Pulſu inordinato, inæquali, confuſo, nec aliter Amatorio innoteſcit.

a Ex Gal. li. de pl. c. 12. Ar. 1. de gener. Anim. *b* G. ſexto de l. aff. c. 5. & Sinibal. in Genean. *c* Ijdem. *d* Ariſt. 4. ſ. probl. 30. *e* Idem & 1. de gener. an. ca. 20. *f* Hipp. vlt. Epid. & 6. Ariſt. 4. ſect. prob. Duretus in Coacas. *g* Gal. 6. de l. aff. c. 5. *h* Gal. ibid. Lud. Merca. lib. de mor. mul. Sinibaldus *i* Gal. loco laudato.

NEC paucioribus patet iniurijs Cerebrum, quamvis ab ijs partibus longè sit dissitum, in quibus coërcitum Semen cæcâ putredinis labe inficitur. Cùm venenatâ illius aurâ quatitur, ipso licèt Hercule valentior æger corruit *a* Epileptico lacessitus insultu, à quo non antè immunis fuerit quàm in συμμίξει quidpiam Epilepticum sit expertus. Est & vbi malè ipsum habet *b* Aphonia, Dyspnœa, Vertigo, *c* Stupor, Cephalalgia, Sopor, Vigilia, *d* Incubus, Hysterica suffocatio, non adeo Feminarum propria, quin & simili planè affectu, sed & alio (si lubet) nomine donando *e* Viri corripiantur, quemadmodum & *f* Furore ac rabioso illo Delirio, sub quo miseri Amantes nihil aliud obloquuntur & cogitant, præter inverecundam Venerem, cuius desiderio pruriunt, æstuant & rumpuntur. In hoc etiam censu est Erotomaniæ cognata *g* Melancholia, omnium qui ex amore oriuntur, affectuum deterrima, & quæ varijs se prodit modis; nempe alius consortium hominum fugit, vt in Dominæ se totus imagine versēt: alius dum rei amatæ compos fiat, *h* ne centies quidem recuset mortis adire periculum: alius vitæ pertæsus mortem sibi consciscit: tantum denique valet Seminis immoderata suppressio, vt vix sit alia causa frequentior *i* fictæ Dæmonomanias, quâ vix quemquam laborare audias, qui *l* Naturæ sacra faciat, sæpius autem Succulentas, Cælibes, Virgines Dæmonem non ampliùs mentituras, si quod Exorcismo fuerit proximum, nubere liceat.

a Gal. 3. de loc. aff. c. 7. & 6. lib. c. 5. Fern. lib. 2 abd. *b c* 4. de loc. aff. c. 5. *d* Ex Aët. lib. 6. c. 12. Cælius 1. Chronic. *e* Gal. de loc. aff. *f g* Assertionum ratio ex Hipp. lib. de Virg. & Gal. 6. de l. aff. c. 5. *h* Milesiæ Virgines Plut. mulieres Lugdunenses Hier. Merc. Phœnices Amatores Gal. Lucretius, Silanus, &c. *i* Vide Ritu. Rom. *l* Assert. ex Hipp. lib. de Virginibus, & Galeno 6. de loc. aff.

Ergo Maribus vt Feminis ex Veneris abstinentia gravißimi Affectus.

Proponebat Lutetiæ BERTINVS DIEVXIVOYE, Cenomanus, Anno R. S. H. M. DC. XLVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Paulus Courtois. *M. Ioannes le Prevost.* *M. Robertus Tuloüe.*
M. Petrus Morian. *M. Nicolaus Cresson.* *M. Dionysius le Soubz.*
M. Guillelmus Petit. *M. Ioannes Cousin.* *M. Bartholomæus Baralis. Med. R.*

cette thèse est la 972e du tome VI du recueil in-folio